Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 75
Quelle:
Copyright:

gii. Origenis. Ysidori. Hylarii. Addi poterat *Augustini*, *Haymonis* et aliorum. Editionem hanc excepere Noribergensis per *Frisner et Sensenschmid* 1478. f. Basileensis per Nic. Keßler 1486. f. et Parisina per *Joan. Lodoicum* pro Ponceto le Preux 1541. f. Autores praecipuos, qui de *Petro* nostro tractarunt, habes in *Hambergeri* utilissimo opere: *Zuverlässige Nachrichten von den vornehmsten Schriftstellern* &c. P. IV. p. 224. Ad *Novariam* natum post alios adserit, sed *Lettere ragionate* 1775. Lucae editae *Lucensem* fuisse enixe contendunt.

XXXII.

950 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 133. in f. luculente scriptus, et praeter literas initiorum auro, coloribusque speciosas pluribus Iconibus deauratis, depictisque, rudioribus tamen, adornatus complectitur *Psalterium*, et alia, prout sequuntur. *Calendario* praevio praeter Signa Zodiaci, et Georgica adpicti sunt Apostoli, non tamen prorsus eo ordine, quo singulis mensibus festus cuivis dies agitur, mense item *Junio* Apostoli loco S. quidam Praesul comparet, quem ex habitu *Basilium* M. censeo, quamvis nomen ejus ad diem 14. desit. Nihil in hoc *Calendario* singulare, nisi quod ad diem 25. *Febr.* minio legas: *Aduentus S. Mauricii;* unde fortasse conjectes, *Codicem* nostrum olim ad Ecclesiam *Magdeburgensem* pertinuisse; narrat enim *Ditmari Chronicon* T. I. *Rer. Brunsv. Leibnitii* p. 334. Adlatas esse S. *Mauritii* reliquias *Ottoni* I. Imp. *Ratisbona* a. 961. *in vigilia Nativitatis Domini*, ab eoque maximo honore *Parthenopolim* s. *Magdeburgum* transmissas, et unanimi indigenarum et comprovincialium ibidem conventu susceptas fuisse. Quod si inter adlatas et transmissas intervallum aliquod temporis subponamus, quo in Coenobio *Bergensi* quievere, facile adtingetur exitus *Februarii*. Atqui transmissionem factam ejusmodi tempore docet *Drèsserus* cit. a *Papebrochio* in Annot. ad C. I. *Analector. Norbertin.* T. I. *Act. SS. Junii* p. 861. *Otto I. imperator* summo frigore *nudis pedibus reliquias* (Mauritii) *ejus ex coenobio Bergensi S. Benedicti in eam* (Ecclesiam) *intulit, atque in summo altari reverenter deposuit.* Confer *Acta SS. Septembr.* T. VI. p. 391. ubi tamen de *Commemoratione* nostra nihil reperi. Sequitur jam *Psalterium*, cui folium inter Psalm. *Conserua me Domine* &c. et *Diligam te Domine* &c. excidit. Abest item Psalmus integer CXVII. et *fol.* 66. post Psalm. *Qui regis Israel* &c. interjectae sunt Orationes binae: *Deus qui de beate* &c. et: *Deus qui dedisti nobis famulis tuis* &c. de Trinitate. *Fol.* 115. p. 2. succedunt cetera *Cantica Biblica* cum Hymno *Te Deum*, Symbolo dicto *Athanasii* et Litaniis OO. SS. in quibus cum inter Confessores invocetur S. *Godehardus* Ep. *Hildesiensis*, qui in *Vita* apud *Leibnit. T. I. Rer.*